



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

130. Descriptio futuri Iudicij in extremo die.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

S. Matthæus.

S. Marcus

S. Lucas.

S. Iohannes

Cum autem venerit filius hominis in maiesta-
 te sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit
 super sedem maiestatis sue; & congregabuntur
 ante eum omnes gentes, & separabit eos ab in-
 uicem, sicut pastor segregat oves ab hæ-
 edis: & statuet oves quidem à dextris suis,
 hædos autem à sinistris. Tunc dicet rex his
 qui à dextris eius erunt, Venite benedicti
 patris mei, possidete paratum vobis regnum
 à constitutione mundi. Esuriui enim: & dedi-
 stis mihi manducare. sitiui: & dedistis mi-
 hi bibere. hospes eram: & collegistis me.
 nudus: & operuistis me. infirmus: & visita-
 stis me. in carcere eram: & venistis ad me.
 Tunc respondebunt ei iusti, dicentes, Domine,
 quando te vidimus esurientem, & pauperem:
 sitientem, & dedimus tibi potum: quando autem
 te vidimus hospitem, & collegimus te: aut
 nudum, & cooperuimus te: aut quando te
 vidimus infirmum, aut in carcere: & ve-
 nimus ad te? Et respondens rex, dicit il-
 lis, Amen dico vobis, quoadiu fecistis vni
 ex his fratribus meis minimis, mihi fe-
 cistis. Tunc dicet & his qui à sinistris
 erunt, Discedite à me maledicti in
 ignem æternum, qui paratus est diabolo &
 angelis eius. esuriui enim: & non dedi-
 stis mihi manducare, sitiui: & non dedi-
 stis mihi potum: hospes eram: & non colle-
 gistis me. nudus: & non operuistis me.
 infirmus, & in carcere: & non visitastis
 me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes,
 Domine, quando te vidimus esurientem, aut siti-
 entem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum aut
 in carcere: & non ministrauimus tibi?
 Tunc respondebit illis, dicens, Amen dico
 vobis, quandiu non fecistis vni de mino-
 ribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in
 supplicium æternum: iusti autem, in vitam æternam. * 122.